

quiescimus; aut propter operationem. Duplex autem illa cognitio pendet à naturâ rerum & disciplinarum. Nam res sunt vel necessariae, vel contingentes; de illis tractant disciplinae theoreticae, de his practicae. Sicut ergo cognitio, cuius causâ ordinem adhibemus, gemina est: ita & ipse ordo geminus. Sed hinc, ais, non efficitur, ordinem in rebus esse duplicem. Ajo: Maximè verò hoc efficitur è dictis; quod sic ostendo. Duplex est cognitio. Ergo & duplex ordo in naturâ. Ratio consequentiæ est: quia cognitio recta est ordo, vel saltem ordine fit. Sive illud, sive istud admittas, necesse habes fateri verum esse illud decantatum, etiam à nobis vel septies: Sicut se res habet in essendo, ita in cognoscendo, & vicissim: vel, modus cognoscendi sequitur modum essendi. At modus cognoscendi est duplex. Ergo & modus essendi. Probatur major: modus cognoscendi vel est proportionatus naturæ, vel non. Si hoc, vitiosus est, vitio videlicet intellectus, qui ordinem rerum illarumque naturam per inscientiæ nubeculam sæpissimè non assequitur. Si illud, firmum est philosophema allatum. Probatur minor prioris syllogismi: Homo ordine perfecto aliquid cognoscens, debet primò cognoscere id quod prius est naturâ. At illud duplex. Dicitur enim aliquid prius naturâ, vel ratione existentiae realis, vel ratione existentiae intentionalis & instituti scopi. Nam, id quod prius est ratione præstantiæ essentialis vel accidentalis, in methodo locum non habet, ut diximus cap. 2. Planius dicam: Omne principium solem intelligendi (ut loquitur *Guilielmus Ursinus part. 1. disputat. 16. aphor. 52.*) in principiatum ejaculatur. Id autem principium est duplex. Aut enim realiter præexistit in naturâ, & causa cognoscendi est; aut intentionaliter in naturâ præexistit, & item causa cognoscendi est. Intentionale principium est finis, & quidquid finis habet rationem, veluti totum. Omne enim totum prius intenditur. Est enim id cui intenditur opus & apparantur partes. *Scaliger exercitat. 307. sect. 21.* Hoc principio dum utitur natura, resolvit. Reale principium est omne illud, quod reverâ antè existit, & causa cognoscendi est: quo dum utitur natura, componit. Naturæ igitur ordo est talis. Primò procedit